

*Bibl. PP. Lugd. T. XX. p. 1153.* ubi totus hic *Honorii* Presb. *Augustodun.* qui non, ut ait *Fabric.* *Bibl. med. Lat. L. VIII. p. 277.* circa an. 1300. sed in confinio *Sec. XI. et XII.* floruit, *Commentarius* legitur. In hujus *Praef. fine pro, sententias vero authoribus relinquens,* Noster habet: *sanctorum auctoritati relinquens. Explicit Praefatio,* et mox sub titulo: *Honorius In Cantica Canticorum,* tota illa *Προλογουμενα,* quae in *Editis in tres Prologos* distincta sunt, nobis indivisa decurrunt. At vero sub finem totius *Expositionis* post ea verba: *brevi epilogo cuncta repetamus,* nova nobis habetur *Inscriptio* miniata: *Repeticio Superiorum,* et linea magna litera capitali ceterisque majusculis orditur: *Hic. Liber. Ibi. Incipit. Vbi. Genus. Humanum &c.* Alia hujus *Commentarii* *Exempla* proferentur deinceps.

II. *fol. 114.* absque ulla *in* *scriptione* sequitur ejusdem *Honorii* *Opusculum,* de quo ipse sub finem *praecedentis Operis:* *Extat libellus a nobis editus. qui intitulatur Sygyllum Sanctae Mariae in quo tota cantica specialiter adaptata sunt eius personae.* *Initium* ejus est: *Optimo Magistro Librorum Registro. frequentia discipulorum &c.* *Extat et hic Libellus in Bibl. PP. T. cit. p. 1217.* et nobis alibi.

III. *fol. 136.* pariter absque ulla *in* *scriptione* ejusdem *Opusculum,* quod in ejus *Luminaribus Ecclesiae L. IV. c. 17. Neocos-*

*mus de primis sex diebus,* apud *Trithemium* vero n. 357. *Hexameron* dicitur. *Edidit* illud e *Cod. Gemnicensi T. II. Thes. Anecd. P. I. p. 71. Bern. Pezsius,* qui in *Dissert. Isag. p. 6.* recte judicavit, *laciniam illam de Templi Aedificatione* illi *praemissam* non esse *Honorii,* nec hujus loci. *Interim tamen et Codex noster* illam ostentat. *Genuinum itaque initium est: Quia multi multa de primis sex diebus differuerunt &c.* *E* verbis illis: *Cui uero hoc placeat elucidario nostro in capite praefigat,* confirmatur *Opusculum* hoc ad *Honorium* pertinere; quamvis enim *Elucidarium* illud *Anselmo Cantuar. Guiberto Novigentio, Guilelmo Coventriensi Carm.* quin ipsi *Augustino* a Variis tributum sit, *Honorii* tamen esse cum e *Trithemio,* tum ex ipso *Honorio L. cit. de Luminarib. Eccl.* constat, ubi distincte memoratur: *Elucidarium in tribus libellis: primum de Christo, secundum de Ecclesia, tertium de futura vita,* quibus, si e mente *Autoris* nostrum de *Mundi creatione* praefixeris, habebis quatuor concinno ordine. *Finit: et homo inobediens cum muliere suae dampnationis in exilium intrare compellitur.*

XCVI. VIII. F. 10.

*Codex* *membraneus* *lat. Sec. 472 XII. Folior. 54. 4.* probe *exaratus,* et *rubricis* distinctus continet: I. *Honorii* dicti *Solitarii* Presb. *Augustodun.* brevior *Cantica* *Expositionem,* quam *Sigillum*

*lum S. Marie* inscribi voluit, quamque praeceunt Epistola Fratrum ad Solitarium et Solitarii Responso, ut in *Bibl. PP. Lugd. T. XX. p. 1217.* et nobis *Cod.* praeced. Verum in *Cod.* praesenti subiecta est eadem manu Expositio *Verf. 18. III. Reg. c. 10. Fecit rex salomon Thronum de ebore &c.* tota itidem Deiparae adaptata, et *Honorium* sapiens, quamvis is in *Regum Libros* commentatus fuisse non legatur. Initium: *Salomon exprimit christum tum nominis interpretatione tum operum celebratione.* Finis: *Ipsa — deprecatur dominum pro seruis. filium pro filiis. sed naturalem pro adoptiuis. Amen.*

II. *fol. 15.* Locus duplex. Prior: *Multi sunt, qui portant crucem &c.* agit de Diversis non eodem eventu crucem portantibus. Alter: *Quatuor sunt cruces diuersa meritorum stipendia expectantes &c.* de Cruce Christi, Latronis dextri, et sinistri et Simonis Cyrenaei breviter tractat.

III. *fol. 17.* *Epistola Bachiarri ad Ianuarium.* Addunt Edita in *Orthodoxogr. et Bibliothecis PP.* ut *Lugd. T. VI. p. 1174. De recipiendis Lapsis;* agitur enim de Monacho, qui sacram Virginem vitiaverat. Initium: *Benedicto in christo fratri. omni mihi in fide et dilectione uenerabili Ianuario. Bacharius peccator. Nisi uererer beatissime frater. ne inter simulatos amicos iob mihi poneretur portio &c.* Parum variat ab Editis *Codex,* nisi quod mox a principio pro *obturato linguae sibilo* legit

*obturata linguae fistula,* et omisso in *Domino nostro Jesu Christo* finit: *interuenire merearis. Amen.* Autorem Seculo V. et *Britanniae* aut *Hiberniae* adsignarunt Omnes ante *L. A. Muratorium.* Edidit hic inter *Anecdota Bibl. Ambros. T. II. Mediol. 1698. p. 9. 4. Bachiarri* nostri *Fidem* seu *Apologiam,* quae in *Guil. Cave Historiae lit.* etiam noviss. Edit. *Basil. 1741. T. I. p. 430.* interiisse dicitur. In eruditis porro *Prolegomenis Bachiarri* aevum ad Sec. IV. retrahit finem, eumque *Britannis* aufert eo solum nixus argumento, quod in hac *Apologia* a labe *Pelagiana* se non purget.

IV. *fol. 25.* *Incipit epistola Petri Damiani.* In edit. *Opp. Paris. 1664. f. Opusculum* est XIX. p. 184. inscribiturque *de Abdicatione Episcopatus,* quam bona Pontificis venia meditabatur Autor. Pontificem hunc *Codex Alexandrum* vocat; ita enim orditur: *Domino Alexandro (II.) uniuersali pape. Petrus peccator monachus seruitutem. Sacrarium spiritus sancti uestrum pectus agnoscitur &c.* sed rectius Edita *Nicolaum II.* ponunt; mox enim ab exordio *Petrus* ait: *post sancte memorie domini Stephani uestri quidem decessoris mei autem preceptoris obitum &c.* atqui *Stephanus IX.* non *Alexandri* sed *Nicolai* decessor fuit.

V. *fol. 34. p. 2.* *Sermo sancti Ambrosii episcopi de dignitate sacerdotum ad Theodorum subdiaconum.* Quid sibi velit hic *Theodorus,* ignoro; Sermo enim ad omnes *Episcopos* et *Sacerdotes* diri-

dirigitur. Neque magis *Ambrosii Mediolan.* est, cujus aetas Simonia, in quam magna parte Noster invehitur, tantopere non laboravit. Reperitur tamen in plurimis Codd. *Ambrosio* inscriptus, ut habes in Edit. *Mauriana Opp. Paris.* 1690. T. II. *adpend. col. 357.* in *Admonit.* quae *Sermoni* huic vel *Traſtatui* praefixa est. Unum modo reperit *Mabillonius*, in quo *Gilberti* (Gerberti) *Philosophi Papae Urbis Romae, qui cognominatus est Silvester* (II.) dicitur; Verum et ab hoc *Anal. Vet.* T. II. p. 216. publicato, et ab omnibus, quos adhibuere *Ambrosii* Editores *l. cit.* Exemplum nostrum elocutione plurimum differt. Argumento fit ipsum Exordium nostrum. *Si periculum Damnationis eterne quam nequam servus pro retenta pecunia domini sui meruit, uolumus euadere fratres karissimi. sollicite considerare debemus. quam terribiliter euangelicus sermo eum increpat dicens. Serue nequam &c. — Quisquis igitur nostrum huius damnationis miseriam euadere desiderat. non iam otiosus et negligens auditor huius sermonis existere debet &c.* Atque ita res eadem per decursum jam uberior, jam contractius dicuntur, quam in Editis. Ultima sunt: *Et presta ut faciant que in hoc opusculo ipse loqui inspirasti. ut eis una mecum tribuas regna celorum. que sanctis tuis omnibus promissisti dare. tibi laus. tibi gratiarum actio. tibi honor uirtus et potestas. per infinita secula seculorum. Amen.* Adlocutionem hanc fortassis olim in

Synodis pro *Formula* adoptatam fuisse, atque inde stili diversitatem manare coniectet aliquis; non enim desunt *Exempla*.

VI. fol. 39. *Incipiunt Excerpta de Libro Scintillarum. De Compunctione. Hier. Non minus laudandus est uir fortis in lectu, quam qui in bello. &c.* Liber *Scintillarum* extat T. VII. *Opp. Bedae Colon.* 1688. col. 370. f. Ordinem *Capitum* non est secutus *Excerptor*, et sub finem adnexuit quaedam: *De Ordine vivendi. De Avaricie Morbo. De Quatuor Virtutibus. De Oſto Viciis Principalibus. De X. Plagis et X. Preceptis. De S. Maria. V.* (idem, quod supra jam N. I.) *De tribus Dietis*, et in *Evangelium Dominicae Palmarum*.

XCVII. *IX. F. 21.*

Codex chartaceus lat. Sec. 506 XVI. Folior. 181. 4. initio ducto a fol. 37. complectitur *Sequentia*: I. *Expositionem super Cantica canticorum Petri de Alliaco Card. Ep. Cameracens.* defuncti a. 1425. quae incipit: *Osculetur me osculo oris sui. Iste liber dicitur canticum amoris: vel canticum cantici &c.* et lucem vidit teste *Mich. Maittaire* unacum *Traſt. de Vita Christi, Paris.* 1483. 4. et cum pluribus aliis *Petri Traſtatib.* *Argent.* 1490. f. a qua Editione, ut ait *Oudinus T. III. col. 2296.* abest *Descriptio Visionis de Horto S. Scripturae* cum longa et eleganti *Praefatione* composita a. 1374. quae nec in *Exemplo* no-

stro